




Wiener Stadt-Bibliothek.

18415

A







ECLOGA,

IN MEMORIE

AM ORNATISSIMI IUVENIS

Martini. Theodori Vuidmanni Græcensis, è medio studiorum cursu immatura

morte euocati, scripta ab eiusdem fratre

CHRISTOPHORO WIDMANNO,

Philosophiæ ac Medicinæ Doctore, & Poëseos

Professore Viennensi.



VIENNÆ AVSTRIÆ, EX

Officina Caspari Stainhofers

Anno M. D. LXXI.

1847

IN WITNESS WHEREOF

I have hereunto set my hand and seal


at the City of New York, this 15th day of

January, 1847.

John Jay

JOHN JAY

Secretary of the Board of Regents



WILLIAM A. ANSTREE, BY

Official Stationer

100 N. 2nd St. N.Y.

REVERENDO, PIETATE

ET DOCTRINA PRAESTANTI VIRO, D. BASILIO Camerhofer, verbi Divini in vrbe Stira supra Anasum præconi sedulo, amico suo tanquam fratri. S.

Quæ præmaturo carum mihi funere fratrem,
Quæ tibi discipulum meruit acerba dies.
Illa dies redijt funesto digna lapillo,
Iamq; ter elapsis mensibus annus adest.
Ergò mihi, heu iustus, semper rediturus in orbem
Intima nunc iterum vulnerat ossa dolor.
Dum faciem memini fratris, dum verba recordor,
Cum mihi languenti diceret ore, vale.
Mutua dum repeto suspiria, quando supremas
Ipse darem lachrimas, flaret at ille animam.
Huic dum iusta paro, quædam, sed rustica, scripsi
Carmina, quæ nostri signa doloris erunt.
Illa tibi mitto, Basili dilecte, probanda,
Qui mecum pueri tristia fata doles.
Cuius es ingenium miratus, & ora diserta,
Pro cuius vita tu quoq; vota dabas.
Ah nunquam durant celeri surgentia motu,
Et subitos casus impetus omnis habet.
Vt præmaturos fetus, & non sua poma,
Miratur pingui consita malus agro:

Illa tamen, placido cum vix strepit aura susurro,
Protinus è matris stipite lapsa cadunt:
Sic frater cecidit, teneris maturior annis
Qui patriæ stirpis spes Theodorus erat.
Sed bene habet, vitamq; omni sine labe beatam
Ducit, & angelicis gaudia mixta choris.
Nunc, quos lugebat, geminas cum fratre sorores,
Et patrem lætus cum genitrice videt.
Hi simul exoptant nostros quoq; cernere vultus,
Si quando extremi funeris hora vocet.
Nec mora sit nobis, modò Christi funere victam
Excipiat mortem spes bona, certa fides.
Crede mihi, bene qui moritur, bene viuet, & intra
Cœlestes capiet gaudia vera domos.

Tui amanti.

Christophorus Widman.
Doctor.

C. VVIDMANNI. D.

Ecloga.

DAPHNIS.

INsignem forma iuuenem, florentibus annis,
Phœbi delicias, Musarum gaudia, Daphnin,
Pastores tenera primo sub flore iuuenta
Ereptum flebant: Ante omnes frater Iolas
Daphnidis interitum lachrymis testatus abortis
Dilecti fratris crudelia fata gemebat.
Non illi pingues in pascua ducere tauros
Cura fuit, textis vel claudere cratibus agnos
Aut reuocare domum distentas lacte capellas.
Tantum inter sylvas obscuraq; lustra ferarum
Assiduè errabat, nec sera nocte quietem
Accipiens, nec cum vitreis sol exit ab undis.
Interea longum cupiens lenire dolorem,
Montibus hæc summis vacuas iactabat ad auras:
Vos nemora, & celsæ resupino vertice rupes,
Rupibus egressi riguis in vallibus amnes,

Et liquidi fontes, & amica fontibus umbra:
Vos mecum tristes obitus atq; aspera fata
Daphnidis, heu miseri, lugete, meiq; doloris
Partem aliquam, venti, superas referatis in oras,
Dum fratri extincto meditabor flebile carmen.
Fundite nunc lachrymas, mea lumina, p'mite luctus.

Qualis ubi aurora nudo prænunciis ortu
Lucifer emicuit, spacijs gloria cœli,
Aut cum mutato sequitur iam nomine Phœbum
Hesperus, & stellas superat fulgore minores:
Talis erat, iuuenum decus & spes maxima, Da-
Pastores inter, facie formosus & ore, (phnis,
Necdum pingebat tenera lanugine malas,
Gratior ut luxit iuuenili è corpore virtus,
Et flos in gemmis, & erat iam mensus in herba.
Ede tuis mecum suspiria vocibus Echo.

Viueret ab uinam meliori sidere Daphnis,
Nunc quoq; ceu quondam solitus, sub vallibus istis
Aut voce, aut tenera cantaret arundine carmen,
Quæ toties Dryadum mirata est turba canentem,
Dura

Dum patula tectus fagi recubaret in umbra,
Et castam medijs iteraret Phyllida syluis.

Huic Laurũ, Roremq; maris, Myribumq; virentẽ
Nymphæ, Musarum comites, sua dona, dedissent,
Rumpere si poterat prima fata aspera vita:

Dijs aliter visum est, nec norunt parcere Parca.
Fundite nunc lachrymas, mea lumina, p̄mite luctũ.

Heu miserande puer, quem nõ virtutis egentem

Abstulit atra dies, cui dulcia carmina semper

Et cythara cordi, qui rerum inquirere causas

Stellarumq; ortus vigil observare solebas

Prudenti ingenio: Tu nostri gloria ruris

Certa fores, sic ante alios gratissimus vnus,

Quantum lenta salix tenuis virgulta Myrica,

Quantum Alni superat salicẽ, vel populus Alnos.

Ede tuis mecum suspiria vocibus Echo.

Sic olim tristes obitus ego saepe parentum,

Et varios casus, & dura incommoda sortis

Solabar, fatis hac altera fata rependens.

Ocia secura tecum traducere vita,

Tecum

Tecum agitare feras, aut retia ponere turdis
Sperabam, leuiq; incidere cortice fagi
Carmina, qua serui legerent incisa nepotes.
Sed cursu in medio spes atq; hac gaudia tanta
Invidit fortuna mihi, & natalibus oris,
Agricolis socium rapiens, pccoriq; magistrum.
Fundite nunc lachrymas, mea lumina, p'mite luctu,

Rusticus en etiam deflet tua fata Menalcas,
Quem toties segnem monuisti incumbere aratri,
Vertere humum, longis committere semina sulcis.
Incipe, dicebas, iam nox aequata diei est,
Nec spernenda cadens monstrat tibi signa Bootes,
Occidit en etiam Borealis stella corona,
Incipe, triticei si gaudes mergite culmi
Sic sulcos onerare ut frugibus horrea vincas.
Ede tuis mecum suspiria vocibus Echo.

O quoties socijs dixisti, prouidus augur,
Tityre coge pecus, duc ad sua septa capellas,
Tityre ne cesses: Viden. ut nymphosus Orion
Exurgat ponto (namq; is certissimus author)

Uig³ cadant, Hyades madida, ruet athere summo
Maximus agricolis imber, pecoriq³ nocebit
Grandine commissus: Res & tua dicta probauit.
Fundite nunc lachrymas, mea lumina, p^mite luctū.

Nūc volucres umbrā, pecudes nūc grata requi-
Frigora, defessis soluuntur aratra iuuenis, (runt
Non iam densa sonant auibus virgulta canoris
Et Philomela silet, nocturnos atheris ignes
Expectans, tacitaq³ obscura crepuscula Luna.

At me nulla quies, nec, quæ nemo occupat, umbra,
Nec gelidi fontes, aut molli somnus in herba,
Nec leuis aura iuuat: fratrem dum lugeo Daphniz
Et mecum Dryades flent, & per prata Napæa,
Et mecum querule rumpunt, arbusta cicadae.
Ede tuis etiam suspiria vocibus Echo.

Vi quando rigidus per prata virentia messor
Falce furit saua, nullo discrimine florum
Narcissum carpens, aut caruleos Hyacinthos,
Quos tepidi soles & blandi gratia veris
Non pridem è molli genitos tellure fouebant:

Sic puer, heu, dilecte cadis, puer inclyte Daphni,
Flos inuenum, dira parcarum falce resectus,
Nec decus ingenij, nec te flos integer aui,
Nec virtutis honos crudelibus eripit umbris.
Fundite nunc lachrymas, mea lumina, p̄nite luctū.

Te rapidus luget Morus, te limpidus vnda
Mircius, ad quorum ripas, & proxima ripis
Gramina, te toties calamo triniſſe labellum
Vidimus, & gemitum ſylua collesq; dederunt,
Pabula cum tenero pecori, victumq; ferebas
Matribus, adponens ſalsas præſepibus herbas.
Hinc tibi vix grauido ſuperarunt corpore limen,
Semper & ex hauſto ſpumabat ab ubere mulctra.
Ede tuis mecum ſuſpiria vocibus Echo.

Quæ ſe præualidam primis oſtendit ariftis,
Fertilis, heu, nimio perdit ſe germine tellus:
Quæ præmaturus vitis fœcunda racemos
Sufſinet, hæc tandem vix lectis concidit vuis:
Sic miſerande puer, fatis properantibus uſus,
Ante diem ſapiens, cui virtus plenior annis,

Concidis

Concidis ante diem, rapida flos febre perustus,
Necdum speratos potuisti carpere fructus.
Fundite nunc lachrymas mea lumina, p̄mite luctum.

Fortunate puer, seu nunc colis aether a summum
Et tibi nota aliquo permulces sidera cantu:
Seu pastor felix pastorum lata frequentas
Concilia, Elysiu carpens in gramine flores,
Aeternos flores, Et non pereuntia dona:
Sis memor o nostri, qui te, carissime, rapto
Per varios casus vitam experiemur amaram.
Ede tuis mecum suspiria vocibus Echo.

Dicebas moriens (sint o precor omina veri)
Nunc me fata vocant, primisq; inglorius annis
Auferor, atq; mea tristem te morte relinquo.
At mox aetherijs iterum iungemur in oris,
Hic ubi ducemus renouato gaudia vultu
Et choreas, cantusq; inter consortia Diuum.
Tum nec cura locum, nec tum dolor ullus habebit,
Mors aberit, mortisq; procul praeuincia tabes,
Nec dulces posthac amplexu abrumpet amicos.

Sistite nunc lachrymas mea lumina, ponite luctum.

Antè Leana lupū fugiet, lupus improlus agnos,

Et metuet sera errantem sub nocte capellam,

Quam meus ex imo labatur pectore Daphnis.

Huic ego, ceu docuit quondam iustissimus Alcon,

Annua festa parans solennes ordine pompas.

Exequar, ad tumulum violas & lilia plenis

Ipse feram calathis, & leni murmure dicam:

Salve care cinis, frater dulcissime quondam,

Ossa beata valete, vale simul optime Daphni.

Desire nunc lachrymas imitari vocibus Echo:

Sic ille in sylvis ingratos carmine soles

Condebat, talesq; iterabat pectore questus.

Tandem fraterni monumentum & pignus amoris

Ponere cum vellet, fratri de marmore leui

Spectandum vario statuebat honore sepulchrum

Propter aquas, scrilēs candēti in marmore carmē.

Da flores tumulo, formosi Daphnidis ossa

Ei cinis hīc recubant: mens purior astra petiuit.

Eiusdem

EIVSDEM DOCT. CHRI-

STOPHORI WIDMANNI AD FRA-
trem Martinum Theodorum, in si-
nu Christi quiescentem,
salutatio.

*Q*ui vita fruere beatorum,
Et sedes pios incolis piorum,
Qua nec cura nec improbi labores
Nec languor fragiles molestat artus,
Nec tabes maciem, nec ulla morbi
Grassantis valies parit dolorem:
Qui cum spiritibus Dei ministris
Carpis gaudia preparata iustis,
Dulcem perpetuo colens iuventam:
Salve frater in hoc statu locate,
Nostro pars animo reuulsa nuper,
Quem cor triste gemit recens ademptum,
Christo iam societate, quem colebas,
Patri iuncte tuo quod expetebas,
Felix atq; iterum beate salve.

AD EVNDEM D. DOCT.

CHRISTOPHORVM WIDMAN, DE PRAE-
mature obitu fratris sui, Carmen M.

Wolfgangi Suanseri.

Tanta quidē, fateor, quamvis si maxima, nul-
Qua nō sit iusto cura dolore minor. (La est,
Cura tui dudum qua nata è funere fratris
Questibus heu nimium corda fatigat edax.
Ecquis enim, illius cui non incognita virtus
Aut fuit ingenium, non fleat vsq̃ necem?
Pectoris ille tui spes magna, & magna sororum
Ille nouenarum cura superstes erat.
Ille tua quondam decus indelebile stirpis,
Et foret Aonij fama secunda chori.
Sic patriæ bonitatis erat, virtutis auita,
Aemulus ingenij sic fuit ille tui.
Namq̃ tribus lustris geminos vix addidit annos,
Penè puer multa claruit arte tamen.
Non illi deerat docta facundia lingua
Illius in dictis gratia, candor erant.

Sape

Sæpe suos acuit, memini, virtute sodales,
Vicit at ingenij dexteritate sui. (parta est,
Vidi ego, prima tibi THEODORE ubi gloria
Et quæ non paruum laurea calcar habet:
Vidi quàm varijs excultus in artibus esses,
Quàm varia posses aptus in arte coli.
Tunc socijs prima rapuisti præmia laudis,
Ingenio, eloquio, moribus, arte prior.
Heu quòd & ingenijs non norunt parcere fata,
Quòd nihil eximium mors sinit esse diu.
Non is crudeli prostratus morte iaceret,
Non fratri luctus causa dolenda foret.

At tu parce tamen iusto VVIDMANNE

(dolori,

Atq; pijs tandem pone modum lachrymis.
Quid iuuat ex imo quòd adhuc suspiria ducis
Pectore, quòd toties fletibus ora rigas?
Non cupit assiduo tabescere corda dolore,
Nec lachrymis frater pascitur ille tuis.

Namq;

Namq̄ Dei intuitu cœlesti fatus in aula
Cum patre, cum dulci gaudia matre capit.
Seq̄ optat tecum post plurima secula iungi,
Cum tibi nota tuus spiritus astra petet.
Interea saluere pios tu carmine manes,
Rursus & in dulci pace valere iube.

IN DAPHNIN EIVSDEM.

Funera dum desles fratris, dum Daphnida plangis,
Frater es & vates: hic bonus, ille pius.

FINIS.

18427
m

